

Etenim cum mediocribus multis, et aut nulla, aut humili aliqua arte praeditis, gratuito civitatem in Graecia homines impertiebantur, Rheginos, credo, aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic summa ingenii praedito gloria noluisse. Quid? cum ceteri non modo post civitatem datam, sed etiam post legem Papiam, aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepserint, hic, qui nec utitur quidem illis, in quibus est scriptus, quod semper se Heracliensem esse voluit, rejicietur? Census nostros requiris scilicet. Est enim obscurum, proximis censoribus, hunc cum clarissimo imperatore, L. Lucullo, apud exercitum fuisse: superioribus, cum eodem questore fuisse in Asia: primis Julio et Crasso, nullam populi partem esse censam. Sed quoniam census non jus civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui sit census, ita se jam tum gessisse pro cive: iis temporibus, quae tu criminaris, ne ipsius quidem iudicio eum in civium Romanorum iure esse versatum, et testamentum saepe fecit nostris legibus, et adiit haereditates civium Romanorum et in beneficiis ad aerarium delatus est a L. Lucullo praetore, et consule.

VI. Quaere argumenta, si qua potes; nunquam enim hic neque suo, neque amicorum iudicio revincetur. Quaeres a nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur? quia suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant. An tu existimas, aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus: aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vero fateor, me his studiis esse deditum: ceteros pudeat, si qui ita se litteris abdiderunt, ut nihil possint, ex his neque ad communem afferre fructum, neque in adspectum lucemque proferre. Me autem quid pudeat? qui tot annos ita vivo, iudices, ut ab nullius me unquam tempore aut commodum, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas